

## TEXTS

medullis in me reparata sunt, quasi de morte suscitata fuisse. At ego tacui pacienza, silui in mansuetudine; et sicut pariens post laborem, ita loquebar post dolorem.

Post hec<sup>5</sup> ab abbate meo et fratribus humillima instancia et devotione coacta sum, ut vitam sancti Dysibodi, cui prius oblata eram, ut deus vellet scribebam – quia nichil certi inde haberent. Et, oratione cum invocatione spiritus sancti premissa, ad veram Sapientiam in vera visione commo-/nita prospexi, ac secundum quod ipsa me docuit vitam et merita ipsius sancti conscripsi. Deinde Librum divinorum operum scripsi, in quo, ut omnipotens deus michi infudit altitudinem, profunditatem et latitudinem<sup>6</sup> firmamenti, vidi et quomodo sol et luna, stelle et cetera in illo constituta sunt.

B: Berlin, Staatsbibl. Lat. Qu. 674, fols. 1ra-24vb

R: Wiesbaden, Hess. Landesbibl. 2 ('Riesenkodeks'), fols. 317ra-327vb

i 1 sum R 2 mea om. R 3 mea om. R 4 celavi (*orthogr. variant only*) R  
5 disciplina R 6 in ieuniis R 7 absconsa R 8 et om. R 9 allata sunt R  
10 visionem R

ii 1 inquit before tempore BR (*the words preceding the heading Visio secunda were Audi ipsam ita scribentem*) 2 in invicem R 3 nequaquam B ne  
quicquam R 4 et expunged B et ei R 5 ac R 6 veterano (*orthogr.*) R  
7 velut (*orthogr.*) R

iii 1 medulla R 2 obitum meum R 3 levantes R 4 ergo R 5 astiterunt R

iv 1 cum cum (*the first expunged*) B 2 qui R (*om. B*) 3 illa B illo R 4 et  
om. R 5 dici R 6 Since Hildegard's text continues without break here, the  
intervening rubric (*De septima visione . . .*) has been omitted 7 quod quia B quia  
quod R 8 dei R 9 scil. ille quem 10 potuit expunged before valebit B

v 1 finietur R 2 levius R 3 ut est hominem R 4 umbra B 5 solveretur B  
6 inquit before mulieris BR 7 illum statim R 8 contiscescens (*orthogr.*) R  
9 fonte R 10 super del. before aquas B 11 correpto R 12 per verecunda loca R

vi 1 inquit before nimirum BR (*the words nimirum . . . liberationem may be Theodoric's explanatory gloss*) 2 intra R 3 corpus meum R 4 corr. from  
flabunt B 5 confudit R 6 adesse (*one word*) R; but cf. Berlin Fragment (ed.  
Schipperges) 632-3: Deus ignis omnia vivencia ad esse incendit, que ita incensa  
in esse ardent . . . 7 aliquantulum R 8 d.m. R 9 dolores m.c.s.a. R

vii 1 inquit before et BR 2 eum prospicere R 3 amplius eam R 4 cum  
magno R 5 The rubric before Post hec (*Quod rogata . . . ostensam sibi*) has been  
omitted 6 altitudinem, profunditatem et latitudinem: see below p. 309 n 53

References in the margins above are to folio and column in B, the manuscript

## HILDEGARD OF BINGEN

chosen as base for these passages and corrected with the help of R. The text differs in many minor and some major details from that in P.L. 197. The correspondences are as follows. i: 102 C – 104 B; ii: 106 A – 108 A; iii: 109 D – 113 A; iv: 115 C – 116 D; v: 122 C – 124 A, 125 D – 126 D; vi: 127 B-D; vii: 127 D – 128 C.

I also collated a third manuscript of the *Vita*: Bruxelles, Bibl. royale 5527-34, s. XII/XIII, fols. 191va-209ra, from Gembloux. Its very substantial divergences from both B and R did not seem to lead any nearer to Hildegard's original wording. The impression was rather of a slightly later hand – perhaps Guibert's – attempting to make Hildegard's notes more 'literary'. A fourth manuscript of the *Vita*, Bruxelles Bibl. royale 5387-96, s. XIII in., fols. 156v-175v, also from Gembloux, of which I collated only sample passages, appears to have been copied from 5527-34. While a future critical edition of the *Vita* would warrant a full conspectus of variants from the Gembloux manuscripts – or even a separate transcription of the Gembloux text – they would have burdened the apparatus here disproportionately.

### Passages from *Causae et curae*

#### i God and Lucifer

i b Cum enim ille [Lucifer] ad nichil se extendit, incepit extensionis eius malum produxit, et mox malum hoc, absque claritate et absque luce, in semetipso per zelum dei exarsit, ut rota se circumferens et circumvolvens, et ignitas tenebras in se ostendit. Et sic malum a bono declinavit, nec bonum tetigit malum, nec malum bonum.

Deus autem integer ut rota permansit, et pater in bonitate, quia paternitas ipsius bonitate ipsius plena est, et ita iustissima et benignissima et firmissima atque fortissima est paternitas, et de hac mensura sicut rota ponitur. Nunc alicubi rota est, et ipsa alicuius rei plena est. Quod si rota illa nichil aliud preter exteriorem circulum haberet, vacua

2 a foret. Et si forte alienus superveniret / et ibi operari vellet, hoc esse non posset. Nam in rota una duo fabri res suas constituere non possunt. O homo, aspice hominem! Homo enim celum et terram atque alias facturas in se habet, et forma una est, et in ipso omnia latent.

De paternitate.

Sic paternitas est. Quomodo? Circulus rote paternitas est, plenitudo rote deitas est. In ipsa, et ex ipsa, sunt omnia, et preter eam creator non est. Lucifer autem integer non est, sed in dispersione divisus est, cum esse voluit quod esse non debuit. Cum enim deus mundum fecit, in antiquo consilio habuit quod homo fieri voluit . . .

Et elementa mundi deus fecit, et ipsa in homine sunt, et homo cum illis operatur.

## 2 Macrocosm and microcosm

- 6 a Et sol in circulo suo integer est et plenus et non deficit, et lumen suum in lunam mittit, cum ad eum accedit, ut vir semen suum in feminam mittit . . .
- 6 b Sed et postquam luna repletur, ita quod velud mulier pregnans efficitur, lumen suum emittit et stellis tradit, et ita stelle lucidiores efficiuntur . . .
- 7 b Ante casum Ade firmamentum immobile fuit, et non circumvolvebatur; post casum autem eius cepit moveri et circumvolvi. Sed
- 8 a post novissimum diem immobile stabit, ut in / prima creatione ante casum Ade fuit . . .
- Sicut enim corpus et anima simul sunt, et ab invicem confirmantur, ita etiam firmamentum et planete sunt, et ab invicem mutuo foventur et confirmantur. Sed et sicut anima corpus vivificat et consolidat, sic eciam sol, luna et ceteri planete firmamentum cum igne suo fovent et confirmant. Nam firmamentum est velud caput hominis, sol, luna et stelle ut oculi, aer ut auditus, venti ve-/lud odoratus, ros ut gustus, latera mundi ut brachia et ut tactus. Et alie creature que sunt in mundo sunt ut venter, terra autem ut cor, quia quemadmodum cor superiora et inferiora corporis<sup>1</sup> continet, ita etiam et terra aquis illis que super eam fluunt est ut arida, aquis vero que sub ea sunt est obstaculum, ne <in> contrarium<sup>2</sup> modum erumpant.

De Luciferi casu et firmamenti creatione.

Abyssus autem est velud pedes, et ut incessus hominis. Cum igitur dyabolus de celo corruit, qui sedere et regnare voluit et qui nullam creaturam creare et facere potuit, deus firmamentum statim fecit, ut ille videret et intelligeret que et quanta deus facere et creare posset. Tunc eciam solem, lunam et stellas in firmamentum posuit, ut dyabolus in eis videret et cognosceret quantum decorem et splendorem perdidisset.

## 3 Elements and man

- 30 a Quod quatuor sunt elementa tantum:

Plura igitur, vel pauciora, quam quatuor<sup>3</sup> esse non possunt. Et ex duobus generibus consta<n>t:<sup>4</sup> superiorum et inferiorum. Nam superiora sunt celestia, inferiora vero terestria, / et que in superioribus vivunt inpalpabilia sunt, et ex igne et aere sunt. Que vero in inferioribus versantur, palpabilia et formata corpora sunt, et ex aqua et limo constant.

## HILDEGARD OF BINGEN

### De anima et spiritibus.

Spiritus enim ignei et aerei sunt, homo autem aquosus et limosus est. De Ade creatione.

Nam cum deus hominem crearet, limus per aquam conglutinatus est, ex quo homo formatus est. Misitque deus in formam illam spiraculum vite igneum et aereum . . .

- 31 a Anima autem ignea, ventosa et humida est, et totum cor hominis possidet. Iecur vero cor calefacit, pulmo illud tegit . . .

31 b Et anima ignis est, qui totum corpus penetrat et hominem vivificat . . .

- 32 a Et homo de igne sensualitatem et desiderium trahit, de aere autem cogitationes et vagationem, de aqua vero scientiam et motionem.

### De Ade vivificatione.

Adam enim cum terra fuit, ignis eum excitavit, et aer eum suscitavit,<sup>5</sup> et aqua eum perfudit, quod totus movebatur. Tunc deus soporem in eum misit, et in hiis viribus coctus est, ita quod caro eius per ignem estuabat, et quod per aerem spiravit, et quod sicut molendinum aqua in eo circuivit, qui postquam evigilavit propheta celestium fuit, et sciens in omni vi creature et in omni arte erat.

### De Ade prophecia.

- 33 a Et deus omnes creaturas illi dedit, / quatinus virili vi eas penetraret, quoniam illas scivit et cognovit. Nam ipse homo omnis creatura est, et spiramen vite in eo est, quod finem vite non habet.

## 4 The human soul

- 47 b Anima autem sine corpore vivit, et post novissimum diem indumentum suum a deo desiderat, ut sibi illud attrahat; et ita etiam deus, qui ante evum et in evo vita sine principio fuit, in constituto tempore indumentum suum, quod eternaliter in ipso latuit, sibi attraxit. Et hoc modo deus et homo unum sunt, ut anima et corpus, quoniam deus hominem ad ymaginem et ad similitudinem suam fecit [Genesis 1: 26]; ut autem queque res umbram habet, sic eciam homo umbra dei est, et umbra ostensio facture est, et homo omnipotentis / dei in omnibus miraculis suis ostensio est: ipseque umbra est, quia inicium habet. Deus autem nec inicium nec finem habet. Unde omnis celestis armonia speculum divinitatis est, et homo speculum omnium miraculorum est dei.

- 48 a Sed et anima est spiraculum ad bona tendens, caro autem ad peccata, et raro et vix corpus interdum continere potest quin peccet, sicut et sol vermiculis resistere non valet, quin de terra in illo loco exeant, quem ipse in splendore et calore suo calefacit.

- 62 b Sed et anima est spiraculum ad bona tendens, caro autem ad peccata, et raro et vix corpus interdum continere potest quin peccet, sicut et sol vermiculis resistere non valet, quin de terra in illo loco exeant, quem ipse in splendore et calore suo calefacit.

## 5 Sexuality

- 78 a Sed cum mulier in coniunctione viri est, tunc calor cerebri eius, qui delectationem in se habet, gustum eiusdem delectationis in eadem coniunctione prenuntiat, et seminis effusionem. Et postquam semen in locum suum cecide predictus fortissimus calor cerebri illud sibi attrahit et tenet, / et mox eciam renes eiusdem mulieris contrahuntur, et omnia membra que in menstruo tempore ad apertio[n]em parata sunt modo ita clauduntur, quemadmodum fortis vir rem aliquam in manu sua claudit.

104 a Cum ergo deus Adam creavit, Adam dilectionem magnam in sopore habebat, cum deus soporem in ipsum misit. Et deus fecit formam ad dilectionem viri, et sic femina dilectio viri est. Et mox cum femina formata est, virtutem illam creationis deus viro dedit, ut dilectione sua – que femina est – filios procrearet. Cum enim Adam inspexit Eevam, totus sapiencia impletus est, quia matrem per quam filios procreare debebat inspexit. Cum autem Eva inspexit Adam, sic eum inspexit quasi in celum videret, et ut anima sursum tendit que celestia desiderat, quoniam spes eius erat ad virum. Et ideo una dilectio erit, et esse debet, viri et femine, et non aliena. /

104 b Sed dilectio viri ad dilectionem femine in calore ardoris est velut ignis ardencium moncium, qui difficile extingui posset, ad ignem lignorum, qui<sup>6</sup> facile extinguitur. Dilectio autem femine ad dilectionem viri ut suavis calor de sole procedens, qui fructus producit, ad ardentissimum ignem lignorum, quoniam et ipsa suaviter in prole fructus profert.

Magna autem dilectio que in Adam erat cum Eva de ipso exivit, et dulcedo soporis illius, qua tunc dormivit, in transgressione eius in contrarium modum dulcedinis versa est. Et ideo quia vir hanc magnam dulcedinem in se sentit et habet, ut cervus ad fontem, sic ipse ad feminam currit, et femina ad ipsum in similitudine horrei<sup>7</sup> aree, que multis ictibus percutitur, et ad calorem perducitur, cum grana in ea<sup>8</sup> excuciuntur.

## 23 b De Ade casu.

Deus ita creavit hominem quod omnia animalia ad servitutem eius subiecta sunt. Sed cum homo preceptum dei transgressus est, mutatus est eciam tam corpore quam mente. Nam puritas sanguinis eius in alium modum versus est, ita quod pro puritate spumam seminis eicit.

## HILDEGARD OF BINGEN

Si enim homo in paradiso mansisset, in immutabili et perfecto statu persistisset. Sed hec omnia post transgressionem in alium et amarum modum versa sunt.<sup>9</sup>

De spermate.

24 a Nam sanguis hominis, in ardore et / calore libidinis fervens, spumam de se eicit, quod nos semen dicimus, velud olla aliqua ad ignem posita spumam de fervore ignis de aqua emitit.

114 a Adam quoque ante prevaricationem angelicum carmen et omne genus musicorum sciebat, et vocem habebat sonantem ut vox monochordi sonat . . .

Nam sicut in prevaricatione Ade sancta et casta natura prolem gignendi in alium modum delectacionis carnis mutata est, ita eciam et vox supernorum gaudiorum, quam idem Adam habebat, in contrarium modum risus et cacynnorum versa est.

## 6 The sexual act and predictability

25 b De conceptus diversitate.

Nunc autem cum vir in effusione fortis seminis sui, et in recto amore caritatis quam\* ad mulierem habet, ad ipsam accedit, muliere quoque rectum amorem ad virum tunc in eadem hora habente, masculus concipitur, quia sic a deo ordinatum est, nec aliter fieri potest quin masculus concipiatur, quoniam et Adam formatus est de limo, qui fortior materia est quam caro. Et hic masculus prudens et virtuosus erit, quia sic in forti semine, ac in recto amore caritatis utrorumque, quem ad invicem habent, conceptus est.

Si autem hic amor deest in muliere ad virum, ita quod tantum vir rectum amorem caritatis in ipsa hora ad mulierem habet, et non mulier ad virum, et si semen viri forte est, masculus tamen concipitur, quia amor caritatis viri superexcellit, sed idem masculus debilis erit et non virtuosus, quoniam hic amor in muliere ad virum defuit.

Quoniam si semen viri tenuerit, qui tamen amorem caritatis ad mulierem habet, et ipsa eundem amorem ad illum, ibi femina virtuosa procreatur . . .

Sed si semen viri forte est, sed tamen nec vir ad mulierem nec mulier ad / virum amorem caritatis habet, masculus inde procreatur, quia tamen semen forte fuit, sed amarus ex amaritudine parentum; vel si semen viri tenuerit, et neuter ad alterum amorem caritatis in ipsa hora tenet, femina nascitur amare complexionis.

57 a Sanguis enim in quolibet homine secundum incrementum et detrimentum lune crescit et minuitur . . .

De tempore gignitionis. /

57 b Et cum in incremento lune sanguis in homine sic augetur, tunc homo etiam, scilicet tam femina quam vir, fertilis est ad fructum, videlicet ad generandum prolem, quia in augmento lune, cum eciam augmentum sanguinis hominis est, forte et robustum est semen hominis; et in detimento lune, cum eciam detrimentum sanguinis est in homine, semen hominis debilis et absque fortitudine est, velud feces sunt, et ideo tunc magis defectus est ad prolem propagandam. Quod si tunc aliqua mulier prolem conceperit, sive masculus sive femina fuerit, hic homo infirmus et debilis et non virtuosus erit.

177 b Luna prima.

Sed homo qui in prima luna concipitur, cum ipsa de sole splendorem suum recipit, si masculus est, superbus et durus erit, nec ullum hominem amat nisi illum qui eum timet et honorat, ac homines libenter ‘verrachet’ – et substantiam eorum et omnia que possident; sed sanus in corpore est, nec magnas infirmitates habebit, sed non / multum senex erit. Si vero femina est, honorari semper appetit, et ab extraneis plus quam a domesticis semper amatur, et apud se ipsam impia est, et alienos et novos adventantes homines semper amat, sed circa domesticos mala est et illos negligit; et in corpore sana est, sed si infirmitas eam apprehenderit, tunc valde infirmatur, et fere usque ad mortem, et diu non vivit . . .

180 ab Qui in octavadecima luna concipitur: / Si masculus est, fur erit et cupiditatem furandi habet, et ita reperiatur fur, et proprietas terre ei abstrahitur, ita quod fere nichil proprium de terra querit habere, scilicet nec agros nec vineas nec similia, sed semper aliis auferre que sua non sunt; et in corpore sanus est, et per se diu vivet. Si vero femina est, astuta erit, et vulpinos mores habebit, et nichil fere loquitur sicut in corde habet, sed propter nequiciam morum suorum in loquela sua homines decipit, et probos homines ad mortem perducit, si poterit; et sana est in corpore, sed per insaniam interdum fatigatur; et diu per se vivere potest – sed isti mores, tam masculi quam femine, deo molesti sunt.

## 7 Purgatorial fires

176 a De purgatoriis penis.

Quidam etiam inextinguibilis ignes in aere sunt, qui de diversis operibus hominum incenduntur, quoniam qui illis ad gloriam esse debebant,<sup>10</sup> ex malis operibus eorum ipsis ad penales ignes fiunt, et ita in aliqua loca terrarum descendunt, et ibi congregantur, ubi etiam aliqua flumina oriuntur et effluunt, que calorem et ardorem ex eisdem ignibus contrahunt, ita quod etiam iuditio dei quedam anime in ipsis ignibus et in ipsis aquis / examinantur.

176 b

Sed quidam rivuli ex eisdem aquis aliquando in diversas terras inter homines fluunt, qui semper calidi sunt, quia de inextinguibilibus ignibus exeunt. Sed et quedam partes terrarum sunt super quas deus divina ultione aliquando ignis descendit, ut scriptum est: ‘pluit super eos carbones ignis, et spiritus procellarum pars calicis eorum’ [Psalm 10: 7]. Et terra et montes et lapides, quos ignis ille tetigit, in igne semper ardebunt, usque ad novissimum diem; atque in illis locis qui sic ardenti, rivuli interdum oriuntur qui de eodem igne semper calidi sunt et calidi fluunt.

Sed et homines interdum arte sua ad eadem loca aliquando quosdam rivulos ducebant, ut ex eis calefierent, qui per eadem loca fluentes, et ardorem ibi accipientes, deinde calidi effluebant. Et aque iste homines illos qui balneis in eis utuntur interdum non ledunt sed eis sanitatem conferunt, quia calor earum iniustum ardorem qui in illis est conpescit et malos humores in eis consumit.

## 8 The four temperaments of women

64 b De sanguinea.

Quedam autem feminine pinguis nature sunt, et molles et deliciosas<sup>11</sup> carnes habent, et graciles venas, atque rectum sanguinem absque tabe. Et quoniam vene earum graciles sunt, ideo minus sanguinis in se habent, atque caro earum tanto plus crescit, et tanto plus sanguine permixta est; et iste claram et albam faciem habent, et in amplexione amoris sunt et amabiles, atque in artibus subtiles, et per se ipsas<sup>12</sup> in animo suo continentibus; et modice effluentem sanguinem in rivulis menstrui temporis patiuntur; atque vasculum matricis earum fortiter positum est ad pariendum, unde eciam fecunde sunt et virile semen concipere possunt, sed tamen plurimos pueros non generant, et si iste absque maritis sunt, ita quod prolem non pariunt, facile dolent in corpore, si autem / maritos habent, sane sunt. Quod si gutte sanguinis

in menstruo tempore ante naturale tempus in istis clauduntur, ita quod non effluunt, tunc interdum aut melancolice erunt, aut dolorem lateris pacientur, aut vermis in carne carum crescat, aut effluentes glandes, que scrofule dicuntur, in eis erumpent, aut lepra – que tamen moderata est – in eis crescat.

*De fleumatica.<sup>13</sup>*

Sed quedam alie femine sunt, quarum carnes non multum crescunt, quia grossas venas habent, et aliquantum sanum sanguinem et album, sed modicum veneni in se continentem, unde album colorem contrahit. Et severam faciem et subnigri coloris habent, et strenue et utiles sunt. Ac aliquantum virilem animum tenent, atque nec nimis parum, nec nimis multum, sed moderate effluentes rivulos sanguinis in menstruo tempore sustinent.

Et quoniam grossas venas habent, plurimum fecunde sunt in prole, et facile concipiunt, quia eciam matrix et omnia viscera earum fortiter posita sunt. Sed viros attrahunt, et eos post se ducunt, et ideo viri eas amant. Quod si a viris se continere volunt, se continere a coniunctione eorum<sup>14</sup> possunt, nec inde multum – quamvis parum – debilitantur. Sed tamen si viros in coniunctione devitaverint, difficiles et graves in moribus suis erunt. Si autem cum viris fuerint, ita quod se a coniunctione eorum continere noluerint, incontinentes et superflue – / secundum viros – in libidine erunt.

65 b Et quod eciam aliquantum viriles sunt, propter viriditatem quam in se habent, aliquantum lanuginis circa mentum interdum emittunt. Si autem rivulus sanguinis in menstruo tempore ante naturale tempus in eis strangulatur, tunc interdum aut insaniam capit – que est frenesis – incurunt, aut splenetice aut ydropice erunt, aut extantes carnes, que semper in ulceribus sunt, in eis crescunt, aut in aliquo membro suo supercrescentem carnem – velud quedam pustula in aliqua arbore vel in aliquo pomo est – emittent.

*De colerica.*

Alio autem quedam femine sunt, que tenues carnes sed grossa ossa habent, et moderatas venas, et spissum ac rubeum sanguinem; et pallidi coloris in facie sunt, et prudentes sunt ac benivolenciam tenent, et eis reverentia ab hominibus exhibetur, et timentur; sed plurimum sanguinem in menstruis paciuntur, et matrix in eis fortiter posita est, ac fecunde sunt. Et viri mores earum amant, sed tamen eas aliquantum devitando fugiunt, quoniam ipse illos alliciendo<sup>15</sup> post se non trahunt. Quod si in coniunctione maritorum sunt, caste sunt, et fidem uxorum illis servant, atque cum eis sane sunt in corpore. Sed si maritis caruerint,

dolebunt in corpore et debiles erunt – tam de hoc quod nesciunt cui 66 a homini / femineam fidem servare possint quam de hoc quod maritos non habent.

Et si fluenta menstrui temporis prius quam iustum sit in eis cessa- verint, facile paralitice erunt, et in humoribus suis diffluunt, ita quod in eisdem humoribus suis infirme erunt, aut quod in iecore dolebunt, aut quod etiam facile nigrum tumorem dragunculi incurront, aut quod ubera earum de cancro ingrossantur.

*De melancolica.*

Sed alie quedam femine sunt, que macres carnes habent, et grossas venas, ac moderata ossa, et sanguinem magis livosum quam sanguineum, et que eciam faciem velud glauco et nigro colore permixtam habent; et iste eciam ventose, et vage in cogitationibus suis sunt, et tediose in molestia tabescentes, et sunt eciam diffluentis nature, ita quod eciam interdum melancolia fatigantur.

66 b Sed et plurimum sanguinem in menstruo tempore patiuntur; et steriles sunt, quia debilem et fragilem matricem habent, unde semen viri nec concipere, nec retinere, nec calefacere possunt, et ideo eciam saniores, fortiores et letiores sunt absque maritis quam cum eis – quoniam si cum maritis fuerint, debiles reddentur. Sed viri ab eis declinant, et eas fugiunt, quia ipse viros affabiliter non allocuntur, et quoniam viros modice diligunt. Et si iste ad horam aliquam delectationem / carnis habuerint, cito tamen in eis deficit. Sed quedam ex hiis, si cum robustis et sanguineis maritis fuerint, tunc interdum – cum ad fortem etatem, velud quinquaginta annorum, pervenerint – saltem infantem unum pariunt.

Si autem cum aliis maritis fuerint, quorum natura debilis est, tunc ab illis non concipiunt, sed steriles permanebunt. Quod si menstrua in eis defecerint antequam iustum secundum naturam feminarum fuerit, tunc aliquando podagram, aut intumencia crura, habebunt, aut insaniam capit – quam melancolia excitat<sup>16</sup> – incurrit, aut dolorem dorsi et renum, aut cito corpore intumescent, quoniam tabes, et fetitas illa que per menstrua in corporibus earum purgari debuit, in eis obstruse remanent; et si istis in infirmitate non succurritur, ita quod ab ea per adiutorium dei, seu per medicinam, liberate non fuerint, cito morientur.

## 9 Unbalanced and exceptional people

37 a Cum autem quilibet humor modum suum excedit, homo ille in periculo est. Sed cum aliquis livor predictorum modum suum iniuste transierit, sufficietes vires non habet ut supereminentes sibi humores

vincat, nisi aut a subsequente livore – si precedens est – instigetur, aut a precedente – si subsequens est – iuvetur. Et in quocumque homine cuius<sup>17</sup> livor supra mensuram suam in superfluitate se extenderit, ceteri humores in illo pacifici esse non possunt, nisi tantum in illis hominibus sit, quos gratia dei infudit, aut in fortitudine ut Samsonem, aut in sapientia ut Salomonem, aut in prophecia, ut Iheremiam aut in quibusdam paganis, ut Plato fuit, et sibi similes.

Et ubi alii predicti insanunt, ibi erunt isti per gratiam dei in probitate fortissimi, quia gratia dei permittit eos interdum esse in aliqua vicissitudine, ita quod interdum sunt in infirmitate, interdum in sanitate, interdum in timore, interdum in robore, interdum in tristitia, interdum in leticia; et hoc reparat in eis deus, ita ut cum sunt infirmi, facit eos sanos, cum timidi, facit eos robustos, cum tristes, facit eos letos.

K: København, Ny kgl. saml. 90 b (references in the margins above are to page and column in this manuscript)

<sup>1</sup> corporis: corr. from corpus K <sup>2</sup> ne contrarium K <sup>3</sup> quatuore K <sup>4</sup> constat K <sup>5</sup> suscitavit: corr. from sustentavit K <sup>6</sup> qui qui K <sup>7</sup> aeri expunged before horrei K <sup>8</sup> eo K <sup>9</sup> est K <sup>10</sup> debebat K <sup>11</sup> deliciosa K <sup>12</sup> ipsas: corr. from ipseis K <sup>13</sup> fleumaticis K <sup>14</sup> earum K <sup>15</sup> illos repeated before post K <sup>16</sup> excitant (n expunged) K <sup>17</sup> huius K

\* While the 'quam' here relates to 'caritatis', at the close of the paragraph, where the phrase 'recto amore caritatis' recurs, K gives 'quem', relating to 'amore'. The minor inconsistency may be purely scribal.

The passages edited above can be found in P. Kaiser's edition (Teubner, (Leipzig 1903)) on the following pages: (1) pp. 2–3; (2) pp. 8–11; (3) pp. 41–5; (4) pp. 65, 84; (5) pp. 104, 136–7, 33, 148–9; (6) pp. 35–6, 77–8, 235, 239; (7) p. 233; (8) pp. 87–9; (9) p. 51. I have not noted Kaiser's misreadings of K, of which numerous samples were listed and corrected in the reviews of his edition by Alfred Ernout, *Revue de philologie* xxviii (1903) 159–62, and Paul von Winterfeld, *Anzeiger für deutsches Altertum* xxix (1904) 292–6.

### The first letter to Guibert of Gembloux

147vb Guiberto monacho Hildegardis.<sup>1</sup>

Hec verba non a me nec ab alio homine dico, sed ea ut *in*<sup>2</sup> superna visione accepi profero. O serve dei, per speculum fidei in quo<sup>3</sup> deum cognoscendo attendis,<sup>4</sup> et o fili dei per formationem hominis, in quem deus miracula sua constituit et signavit – quia, sicut speculum in quo queque videntur vasi suo inponitur, ita rationalis anima corpori velut fictili vasi inmittitur, quatinus per ipsam vivendo<sup>5</sup> regatur et<sup>6</sup> anima per fidem celestia contempletur – audi quod indeficiens lumen dicit. –

148ra Homo celestis et terrestris est: per bonam quidem scientiam rationalis anime, celestis, et per malam, fragilis et tenebrosus; et quanto se in bonis<sup>7</sup> cognoscit, tanto amplius deum diligit. Nam si / in speculo vultum suum<sup>8</sup> sordidatum et pulvere sparsum aspergesit, mundare et tergere illum<sup>9</sup> studet; ita etiam si se peccasse, et varietati vanitatum se implicitum esse, intellexerit, gemat, quoniam in bona scientia se pollutum scit. Et cum psalmista plangat, dicens: 'Filia Babylonis misera . . .' [Psalm 136: 8f]. Quod est: Humana concupiscentia per spumam serpentis est confusa. Ipsa etiam pauper et eg(e)na<sup>10</sup> est, quoniam in speculativa scientia honorifica opinione caret, eo<sup>11</sup> quod gloriam eterne vite, quam per bonam scientiam gustat, a deo querendo non desiderat. Beatus autem est ille<sup>12</sup> qui tenebit hoc quod a deo vivit, et cuius scientia eum docet quod<sup>13</sup> deus eum creaverit et redemerit, et quod<sup>14</sup> propter liberationem hanc, qua deus ipsum liberavit, omnem malam consuetudinem peccatorum suorum conterit, omnemque<sup>15</sup> miseriam et paupertatem, quam in celestibus diviciis habet, supra petram illam – que firmamentum beatitudinis est – proicit.

Nam cum homo lutulentam putredinem se habere scit, et nequaquam a gustu peccatorum se continere valet, tunc<sup>16</sup> nigerrime aves eum totum sordidant, sed tunc etiam<sup>17</sup> ipse per rationalem animam, quam nec videt nec cognoscit, in deum credendo confidat. Et licet se<sup>18</sup> sic esse et<sup>19</sup> infinita vita vivere sciatur, se tamen continere non potest quin frequenter peccet. Et ideo, o quam mirabilis – et lamentabilis – vox est, quod deus talia fictilia vasa quandoque miraculis suis stellata facit, cum tamen ipsa non valeant peccata deserere, nisi quantum per gratiam dei ab ipsis prohibe(n)tur.<sup>20</sup> Petrus namque secur(u)s<sup>21</sup> / non fuit, qui filium dei se numquam negatur(u)m<sup>22</sup> ardenter promisit, sic nec multi alii<sup>23</sup> sancti qui in peccatis ceciderunt, qui tamen postmodum<sup>24</sup> utiliores et perfectiores facti sunt, quam fuissent, si non cecidissent.<sup>25</sup>

O serve fidelis, ego paupercula feminea forma in vera visione hec verba iterum tibi dico. Si deo placeret quod<sup>26</sup> corpus meum sicut et animam in hac visione levaret, timor tamen ex mente et<sup>27</sup> corde meo non recederet, quia me hominem esse scio, quamvis ab infancia mea inclusa sim. Multi autem sapientes miraculis ita infusi sunt, quod<sup>28</sup> plurima secreta aperiebant,<sup>29</sup> sed propter vanam gloriam illa sibimet ipsis ascripserunt, et ideo ceciderunt. Sed qui in ascentione anime sapientiam a deo<sup>30</sup> hauserunt, et se pro nichilo computaverunt,<sup>31</sup> huius columpne celi facte<sup>32</sup> sunt – sicut et in Paulo contigit, qui ceteros discipulos predicando precessit, et tamen se quasi pro nichilo habebat. Iohannes quoque evangelista miti humilitate plenus erat, quapropter de divinitate multa hauriebat.